

non fecit. Tandem ipsum fratrem Heinricum cellerarium* transmisit ad litteras apportandas, a quo etiam consignatas acceperat; quem abegit verbis fallacibus dicens: „inhonestum est, personam tantae dignitatis occupari in litteris deferendis“. Qui non intelligens fraudem decipientis, credebat ita esse. Statim autem superveniens loco dominus abbas, iusta indignatione motus, iterum ipse litteras repetivit. Cui ille: „quales litteras a me repetitis nunquam habui neque vidi litteras vestras“. Et verbis minacibus et iniuriosis ipsum lacessendo¹ irritabat dicens: sibi oportere de mendosa repetitione litterarum satisfacere.

59. Tandem frater Heinricus cellerarius facietenus eum convenit dicens: „immerito habes negare, quia tali loco, locum sibi exprimendo, manibus meis consignavi tibi et hactenus nunquam negasti, non bene agis erga nos.“ Quem similiter verbis exprobrando abegit. Sed deum, quem nemo fallere potest, non fefellit, qui ob merita beatissimi nostri patroni Blasii, qui nobis sua oratione se semper praesentem esse ostendit, ipsum mutilatum induxit ad satisfaciendum. Nam cum domum repetere vellet, de equo cadens, in amentiam versus, non nisi adminiculo aliorum domum venire poterat. Qui intelligens, se a beato Blasio [fol. 40^a] percussum, statim crastina die transmisit litteras²; per proprium filium domino delatae sunt.

60. Libet aliquantisper in consideratione miraculorum beatissimi patroni nostri, sanctissimi Blasii, nos protendere sermonem, quam diversa, quam miranda, quam laudanda sint, nullorum verborum exprimere poterit efficacia, quia in omni aetate, in omni sexu, in omni conditione humani generis refulsisse gratia³ miraculorum multorum sinceritas novit. Nam in decrepita aetate periculum patientibus subvenire consuevit, in senecta⁴ aetate simili modo subvenire ratum⁵ habemus, in iuventute quam pluribus subvenerit, in necessitate ipsum invocantibus, numerum excedit. In puerili aetate, qui adhuc ratione uti non poterant, aliis intervenientibus, gloriosa operatione liberando in multorum notitia certum habetur. Nec conditiones hominum discrevit, quin omnium conditionum hominum, nobilem, ignobilem, potentem, impotentem, sapientem, insipientium⁶, doctorum et indoctorum, praecipue omnibus simplicibus simpliciter cum pura fide invocantibus subvenisse historiarum series prodit.

¹ lacessendo, §f. ² transmissis litteris, §f. ³ miraculorum m. gratia vultu besser. ⁴ wohl Schreibfehler für senectutis. ⁵ artum, §f. ⁶ insipientium, §f.

* Als cellerarius steht um diese Zeit kein Heinrich im rotulus defunct.

61. De singulis autem exempla ponendo, quia nimio taedio afficerentur legentes, praecipue cum in scriptis miraculis perpendi possit, ne fastidium incurrant, obmittimus, quia vulgaris sermo se ita habet, quod brevitate gaudeant moderni. Sciendum etiam, quod in aliquibus partibus sui patrocini, pastoris vicem tenendo, quod tamen est mirabile dictu, ad¹ tempus sibi deputatum iumenta sua provinciales absque omni obsequio humano libere ire permittunt, scientes protectione beati Blasii nulla detrimenta se pati, nec luporum nec ursorum incursus sive rapinam metuentes, nec aliquod dampnum in agris, in vineis, in [fol. 40^b] hortis², in pratis, in omnibus utensilibus nulla sibi dampna evenire posse. Unde bene sibi illud adscribi potest: sic, sic mansuescit feritas ferarum operatione virtutum, et quod magis mirum est, quia cohercet rapinam raptorum, fraudem furum et versutias omnium malorum hominum, quod nulla dampna patiuntur in suis gregibus.

62. Mira mirandis sequuntur, si enim aliquis alienus, nesciens vindictam sive custodiam sancti, subtraxerit aliquod iumentum, fines illos exire non poterit, nisi in ecclesia praesentatus, publice coram omnibus satisfecerit cum oblatione ordinata ab ipsis provincialibus. Sicque cum benedictione petita a sancto patrono abire permittitur. Sciendum etiam, quod ipsi greges solum modo pascua sibi deputata depascunt, nulla dampna inferentes in prohibitis, sicut superius dictum est. Unde bene sibi potest aptari³ illud*: „mirabilis deus in sanctis suis.“ Nec illud praetermittendum est, quod in omni christianitate totius mundi quasi principalis patrocinator habetur, omnes enim christiana fide insigniti in festo ipsius luminaria incendunt, candelas circa colla tam sibi quam iumentis suis ordinare non cessant, firmiter credentes, se suaque iumenta ab ipso tueri, ne aliquas molestias in gutture patiantur.

63. [1385—1408.] Item miraculum moderno tempore factum. Quidam de clientibus monasterii, tum temporis in communi fratrum servitio deputatus, cum quadam die nimis fatigatus multumque lassatus superveniret tempore indebito et se fame ingenti laborare diceret et nihil de cibo praeparatum invenisset, casu scutellam cum prodio** inventam exhausit, in qua ossiculum non perpendens neque considerans, gutturi eius ossiculum inhaesit, ita quod nullo modo poterat

¹ qui ad, §f. ² ortis, §f. ³ optari, §f.

* Psalm. 67, 36.

** brodium ist die gewöhnliche Form, prodium alemannische Schreibung, und bedeutet Freischürze.